

**DE HORATIO,  
VETERUM LATINORUM  
POETARUM JUDICE**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649423712

De Horatio, Veterum Latinorum Poetarum Iudice by A. Couat

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.  
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

[www.triestepublishing.com](http://www.triestepublishing.com)

**A. COUAT**

**DE HORATIO,  
VETERUM LATINORUM  
POETARUM JUDICE**



DE HORATIO

VETERUM LATINORUM POETARUM JUDICE

DISSERUIT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

A. COUAT

OLIN SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

---

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DE MEDICIS, 7

---

MDCCCLXXV

Lh 9.284



*Salisbury fund*

# DE HORATIO

VETERUM LATINORUM POETARUM JUDICE

---

## CAPUT I.

Unde orta fuerit Horatii cum veteribus poetis contentio.

Non sine longis et acerbis contröversiis latinæ litteræ a pristina consuetudine ad novam disciplinam provectæ, et tantum propria et peculiari indole quantum arte ipsa immutatæ, Cæsarem Augustum auspicem, magistrosque et exempla Virgilium Horatiumque et nonnullos alios agnoverunt. Quantæ molis fuerat antiquam civitatem ad unius regimen flectere, tantæ fuit componere lites de liberalibus studiis, nec minorem pugnam eximii poetæ contra inimicos sustinuerunt, quam cum adversis partibus Augustus. Quomodemum Cæsari Brutus et Cassius, ita multi scriptores et grammatici obstiterunt Virgilio; habuerunt sua bella versus.

Ea tamen difficillimum est enarrare, quia plerique milites vel duces ipsi longinquitate et mediocritate rerum gestarum evanuerunt, quorum memoriam excuscitare, nomina ad lucem educere, opera denique oblitterata et perdita ex ruderibus temporum eruere nequidquam enitamur. Splendet emersa ex istis tenebris quæ alios oppresserunt nonnullorum virorum fama, quam lacessitam fuisse multorum simultatibus et petitam hostilibus telis ita ut victoria diutius anceps fuerit, vix credibile videtur: res tamen ita se habuit. Sed nisi plurima documenta superessent, quorum auxilio res præteritas investigare licet, quis dubitaret quin eadem auctoritate olim nostris majoribus ac nobis hodie Cornelius Raciniusque subnixi fuissent? Habemus autem libellos et carmina quibus nostræ ætatis maxima ingenia elevabantur; perierunt contra Virgilio et Horatii nobiles aut ignobiles, inepti simul et faceti oppugnatores. Quos nunquam novissemus, nisi ipse suos hostes scriptis tetigisset Horatius, et servavisset qui eum volebant exterminare.

Reperiuntur enim in Horatii sermonibus et epistolis multi loci quos perspicere et explicare non ingrati forsitan operis foret, ubi cum ignotis quibusdam adversariis rixatur, veteresque poetas cum recentibus collatos non ita leniter, quanquam lepidissime irridet. Quare igitur vir acutissimi iudicii antiquos persecutus fuerit, quos æqualium infensos habuerit, qua deinde via latinas litteras paulatim ad meliorem disciplinam converterit, velimus expositum.

Primum autem quærendum est cur antiquitati diem dixerit: num consulto an casu, num sponte an se ipse defensurus, num generali quadam et philoso-



phica ratione de antiquis rebus inductus ut eas negligeret, an æqualibus responsurus qui nimia longinquorum sæculorum admiratione delirabant? Num litteras semper progredi et altiore spiritu in dies afflari censebat, an solummodo, perstrictis breviter priorum scriptorum vitiis, falsam vulgi de istis opinionem impugnare et æqualium suorum causam agere susceperat?

Quam rem, ut non temere dirimendam putemus, quum vel in illis Horatii versibus quibus pristinorum « annosa volumina vatum » non tanti æstimanda iudicat, hujus quæstionis num nova semper veteribus præsent, veluti adumbrata argumenta deprehendere liceat; sic privatas similitudines illis significari, et de temporariis quibusdam inter scriptores discriminibus illic agi audeamus asserere.

Nempe non nisi paulatim illa apud sapientes de qua etiam nunc plerique disputant, opinio pernotuit, res humanas ad meliorem finem in dies spectare. Non enim pulcherrimam, sed levem et tantum non incertam Ciceronis imaginem qua hominibus suadet ut viam ad meliora ducentem semper sequantur, (1) ad id valere arbitramur, ut quemquam antiquorum hanc quam vocamus de continuo humani generis profectu rationem usurpavisse appareat. Quin, hoc ita natura comparatum est, ut plurimi, quanquam rerum et hominum pristinorum incuriosi, æqualia tamen sibi fastidiant, et quidquid sibi aut virtutis, aut felicitatis, aut ingenii deesse comperiant, id non sperent fore apud posteros, sed apud majores valuisse con-

(1) Cic. rep. I, 2.

fidant et quasi meminerint. Sua sane inest tristitia rebus quæ nos circumdant, vel si admodum prosperæ videantur, sunt cuilibet viro viventi, vel præstantissimo, sua vitia quibus offendimur; sunt denique omnibus iis quæ vivunt suæ lacrimæ, et eo ipso forsitan quod vivunt, magis imperfecta videntur et caduca; quodcumque in illis vanum aut vitiosum aut ridiculum est perspicimus, et ea propiora morti sentimus quam quæ jam pridem perierunt. Suus contra elapsis rebus est decor et gratia quædam, ipsa longinquitate et recessu aucta, quum non jam malis laboravisse, sed omnia quibus indigemus pleniora et lætiora, ut suspicamur, habuerint. Illuc ergo spes nostras et hanc vitæ felicioris memoriam qua ducimur, referimus, ita ut ibi tantum aliquid boni sit, ubi nihil vitæ.

Inde hæc ætatis beatissimæ et antiquissimæ religio orta est, poetico lepore commendata, qua scriptores illustraverunt tempora fabulosa ubi vixdum homines erant, adeo quidquid vere humanum est tristius et corruptius apparebat. Inde recantata apud omnes de humani generis pejore in dies fato querela, quam vel Augusti tempore viri maxime egregii, Virgiliusque (1)

(1) Virg. Georg. I, 126 et seqq. — At hos versus quibus Saturniam ætatem memorat Virgilius, qua homines nulla cura victum, opes, vestitum accipiebant, excipit locus, nostra sententia insiguus, in quo secutus Lucretii exemplum veteremque de Prometheo ignis raptore fabulam, depingit quis vere fuerit hominum progressus, quum artes multo sudore et ingenio inventas miratur, ita ut hæc tempora ubi homines aligent et sitiunt et esuriunt et improbe laborant multo meliora videantur propter doctrinarum miracula, pristino illo et fabuloso sæculo cui nullam fidem adhiberi a poeta certum est. Quis vero contendat Virgilium intellexisse aut saltem dixisse eos hominum profectus majores semper futuros?

et Ovidius (1) atque Horatius ipse, (2) Græcorum exemplo, sed forsitan nulla adhibita fide, canebant. Quamquam enim in his de beata priscorum hominum vita carminibus, nihil præter locum quemdam communem videre est, non inde tamen colligendum Ovidium aut Horatium, qui politam ætatis suæ urbanitatem et mores magis humanos incomptæ rusticitati et silvestri vitæ multo præferendos certe credebant, ideo providisse aliquid de futuris hominum fatiis.

Diversa profecto et nostræ doctrinæ magis accommodata ratio circa Horatium cœperat non cum minima laude vulgari et fiduciam obtinere; namque Epicurei non auream et longo felicitatis tenore placidissimam vitam primos homines, innocuæ naturæ progeniem innocuam, duxisse contendebant, sed contra, e dura et horrida terra durum et horridum genus hominum exortum esse, qui ægre inter inimica omnia turpem victum rapiendo et pugnando coluissent. Quam opinionem per se ipsam prorsus probabiliorem tam claro versuum splendore Lucretius ita decoraverat, ut non jam carmina prioris fabulæ illecebras desiderare viderentur. Lucretium deinde ipse Horatius secutus est; qui, quum « nullius addictus jurare in verba magistri » esset, tum etiam in multis carminum locis de nequiore æqualium suorum indole questus, Epicurei tamen poetæ placita breviter fideli interpretatione

(1) Ov. Metam. I, pass.

(2) Hor. od. III, 6, 37.

Damnosa quid non imminuit dies?  
Aetas parentum, pejor avis, tulit  
Nos nequiores, mox daturos  
Progeniem vitiosiorum.